

compendiorum notas vel ita ut una littera infra alteram ponatur exaratae.

Tres primas epistulas (usque ad 3, 5 *alterum tutius. sic utrosque*) post subditicias Senecae Paulique olim exhibuit codex universitatis Argentoratensis C. VI. 5. is *Arg. a* audit Schweighaeusero, **Sa** Fickerto. nos nota **A** eum signamus secuti Buechelerum, qui librum interim bellicae obsidionis incendio combustum contulerat cum editione Fickertiana a. 1863. inerat altera epistularum pars inde ab ep. 89, de qua infra dicendum erit. sed postquam periit primus octo foliorum fasciculus, quem compleverant ep. 89—90, 18 (*nos magnis multisque conqui-*), in huius locum substitutus est alieni libri et ad prius potius epistularum volumen pertinentis quaternio. bonae autem notae illum et ipsum fuisse facile est perspectu. vide modo, quotiens **A** sive cum **p** sive cum **L** sive cum utroque vel etiam cum **P b** conspiret.

Denique in extremis prioris partis epistulis interdum memoriam feci libri ab Oberlino olim collati, quem ubi solius Oberlini testimonio nititur nota *Arg. b* signavit Fickert. et e praestantioribus fuisse etiam hunc librum vel paucis eis lectionibus, quas occasione data ut aliorum codicum fidem fulcirem adscripsi, dispicitur, cf. ep. 83, 26. 85, 15. 86, 8. 87, 23. 88, 4. 28. 34. verum ne quis fallatur, vix idem ille erat liber atque Argentinensis **S b** quem vocat Fickert praef. p. XVIII et XXII, quemque *Arg. b* vocarat Schweighaeuser. nam quae ab Oberlino enotata sunt, ea cum libro bibliothecae Argent. C. VI. 17, quo usus est Schweighaeuser (cf. praef. p. 240 s.), convenire prorsus negat Buecheler. is enim et hunc librum tunc quidem superstitem inspexit et per non nullas epistulas si quid erat discrepantiae adscripsit. neque plures ille libros Argentorati vidit quam viderat Schweighaeuser. erant autem tres, quorum nullius pretii fuisse tertium (*Arg. c* Schweighaeuseri, **Sc** Fickerti) quippe chartaceum saeculi XV Buechelerum etiam promptius adfirmare video quam olim Schweighaeuserum (praef. p. 244). commemoravi hoc etiam ideo, quia fuit